

XVIII. Illud tamen non oportet ignorare, sanari hoc vitium, cum cognitum est, aliquibus: viros facilius mulieribus remediari, pueros vel virgines liberari post complexum et devirginationem.

Collyria composita lenia

5 XIX. Ad conturbationes et epiphoras oculorum scio multa collyria, tametsi tarde, magnos tamen effectus habere; sed nulli collyriorum tantum tribuo quantum lycio Indico vero per se. hoc enim inter initia si quis ut collyrio inungatur, protinus, id est eodem die, et dolore praesenti et futuro tumore liberabitur. supervacuum est autem nunc laudes eius re-
10 ferre: in aliis enim expertus intelliges simplicis rei vix credendos effectus.

XX. Oportet vero minime quater quinquiesve ex intervallo inungere, deinde cum coniverint oculi ad singulas inunctiones, ex aqua quam poterint sustinere calidissima spongeis expressis vaporare eos diutius eodem-
15 que die in balneum ducere, ita ut cum cetero corpore caput quoque et facies calda immergatur et foveatur, vinoque uti, ut quisque adsuetus est; postero die si qua vestigia epiphorae remanserint, inungere collyrio aliquo acriore aquato sub vespere et rursus in balneum deducere et vinum dare eodem modo. fere enim uno die tollit epiphoram et praecipue inci-
20 pientem neque adhuc alio medicamento tactam. sed si ea vis fuerit epiphorae, ut non cedat uno die, spectare oportebit donec impetus sedetur, et ita in balneum deducere ceteraque facere, quae praecepimus. idem hoc medicamentum etiam suprapunctum tardius quidem, sed eosdem effectus praestat, maxime in teneris corporibus, ut mulierum et puero-
25 rum, quorum oculi nullius medicamenti vim sustinent. triduo enim aut plerumque quadriduo tollit dolorem adiutum ovi infusione et aquae calidae vapore.

XXI. Item compositorum collyriorum hoc maxime probo ad recentes epiphoras et conturbationes oculorum tumoresque et dolores: aloes Indicae \times p. IIII, croci \times p. II, opii \times p. I, commis \times p. IIII, plantaginis
30 suci cyathos tres. terere oportebit per se crocum diligenter, deinde cetera admiscere pridie macerata suci plantaginis cyatho atque ita reliquis